



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Missino Fvndatori Et fratribus leprosum de Missino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

necnon etiam pro stipendiis militum devolvantur, sine quibus terra memorata non posset contra Sclavorum impetum gubernari fidem catholicam impugnantium vel ecclesiasticam unitatem, aut terram ipsam occupare volentium, pro eo quod patres eorum, cum essent pagani, per eundem Marchionem vel progenitores ipsius ab ea fuerunt potenter ejecti, tertia verò pars integra persolvatur Ecclesie construendae, quam idem Marchio competenter dotabit, ut in ea duodecim Canonici commodè possint cum suo Praeposito defervire, qui pro tempore canonicè debeat praesentari per eum ac successores ipsius, & per solum Romanum Pontificem aut ejus mandato per alium confirmari, ac denique confirmatus gerat administrationem temporalium, quae poterunt administrari per ipsum in Ecclesiis construendis in terra praedicta, alia verò spiritualia, quae officium episcopale requirunt, idem Praepositus exigat & obtineat à quocunque maluerit Episcopo apostolicae sedis gratiam obtinente. In recompensatione autem decimarum illarum, quae, sicut superius est expressum, ad praefatum Marchionem & heredes ipsius pro Ecclesiae fabrica & stipendiis militaribus devolventur, de singulis quinquaginta mansis unam marcam puri argenti nobis & successoribus nostris facient idem Marchio & successores ejus annuatim exolveri. Licet igitur petitionem suam providerimus admittendam, volentes tamen absque gravi alieno praedjudicio pium ejus propositum promovere, cum & hoc dilectus filius procurator venerabilis fratris nostri Brandeburgensis Episcopi acceptaverit in nostra praesentia constitutus, discretioni vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatinus inquisita diligenter & cognita veritate, si terram illam esse constiterit solitariam aut desertam, maximè quod non sit in memoria hominum illam fuisse per Christicolos habitatam, sed paganos habitatores inde fuisse depulso in memoria hominum teneatur, recipiatis appellatione remota fundum in jus & proprietatem Romanae Ecclesiae vice nostra, in quo hujusmodi Ecclesia construatur, ac super solemnibus ejus concessionibus publico instrumento confecto, & ad opus ejus dotibus competentibus assignatis, tribuatis auctoritate nostra suffulti liberam facultatem praefatam Ecclesiam construendi ab omni prorsus onere jurisdictionis episcopalis exemptam, & in jus & proprietatem apostolicae sedis perpetuò re-

manfuram; ita quod in recompensationem duarum partium decimarum quae causa praescriptae necessitatis dimittentur Marchioni jamdicto, praebiti census concessionem recipere procuretis, ut de ipso per nostram providentiam disponatur sicut fuerit disponendum. Quod si non ambobus exequendis volueritis vel valueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani v 11. Kal. April. anno tertio decimo.

*MISSINO FVNDATORI ET
fratribus leproforum de Missino.*

Solet annuere sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus favore benevolenti impertiri. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris justis precibus inclinati, domum hospitalis de Missino ad exemplar felicitatis recordationis Celestini Papae praedecessoris nostri in jus & proprietatem beati Petri cum omnibus bonis quae in praesentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis praestante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem terras, domos, silvas, & quicquid in Faventino, Forolivienfi, & Imolensi episcopatus idem hospitale habere dinoscitur, sicut ea omnia justè ac pacificè possidet, vobis & per vos eidem hospitali auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communitus. Ad iudicium autem hujus perceptae à sede apostolicae libertatis sex denarios obtulisti tu, fili Missino, praefato praedecessori nostro ejusque successoribus annualiter persolvendos, quos pietatis intuitu nos misericorditer relaxamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis & confirmationis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum ut in alia per totum.

*ELECTO ET CAPITULO
Coronenfi.*

Iustis petentium desiderijs dignum est nos facilem praebere consensum, & vota quae à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris precibus inclinati, remissionem cruxicae à nobili viro Gaufrido de Villa Arduini Principe Achaiae pietate provida vobis factam auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communitus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis &c. usque incursum.